

23

R E C T O R
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
G E O R G I V S R V D O L P H V S
B O E H M E R V S

PHIL. ET MED. DOCTOR ANAT. ET BOTAN
PROF. PVBL. ORDINARIUS PHYS. PROVINC

O F F I C I V M

HENRICI GOTTHELFF GLASEWALD

LL. AA. M. ET SS. LITT. CVLT

O R A T I O N E M

IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

A. R. S. C I D C C L X V I I

EX LEGE LIBERALITATIS WEYRAUCHIANAE

IN AVDITORIO MAIORE

H A B E N D I

C I V I B V S

C O M M E N D A T

24

Dignam philosopho principe sententiam dixit M. Aurelius Antoninus, οὐ δύνανται εἰν τῷ κόσμῳ ἀναιχυντοι μὴ εἶναι, non posse sunt in mundo homines impudentes non reperiri, cuius grauitas sicut mouet animos, ita ueritas percellit. Grauitas ex addita necessitudine nascitur, non simplice et absoluta, quae cogitat mortales claustra pudoris ac reuerentiae refringere, sed cum adiunctione, e labore generis humani repetenda. Haec enim nititur in uetitum, ac diuturna peccandi consuetudine firmata, tam durum postremo callum profligatis obducit, ut honesti sensum turpitudiniske amittant. Veritatem quotidianus uitiae probat usus, dum quam plurimi bene ac nauiter inuerecundi exoriuntur, suoque probos ingenio facetiisque ludunt perinde, ac factis moribusque offendunt. Valeant nunc illi, qui uitiis seruiunt unice, huiusque indignissimae seruitutis iugum non amplius sentiunt. Propiores nobis insidias struunt, quotquot partes accuratio-
ris doctrinae ne primoribus quidem labris attigerunt, nihilo tamen secius iudices sedere conantur, et, quod non intelligunt, clamoribus conui-
ciisque lacerant, confidentes lingua, ac frontem perfricanes. Qui cum religionem omnem telis suis oppugnant, tum praceptorum munditiem, in qua praecipuum robur eius decusque ponitur, in lu-
dum

dum iocumque uertunt, quippe cum libertas sentiendi, cum eaque rationis dignitas perueratur. In primis Vitembergae laudibus obtrectant, nec Lutheri modo cathedram dictis exagitant, sed etiam dogmaticam, quam false uocant Vitembergensem, ludificantur. Ingratum uero genus. Nam, nisi Vitemberga fuisset, nosque a tyrannide sacra in libertatem uindicasset, isti uix hiscere auderent, atque in summa rerum diuinarum uersarentur ignorantie. Nos, **CIVES RELIGIOSISSIMI**, sacrorum perpurgatorum beneficio academiam nostram, plus, quam pro uirili parte, putabimus obligatam, eiusque memoriam sic redintegrabimus, ut immortali numini gratias agamus maximas, maiores habeamus, quod nobis castum reddidit cultum, crassissimis antea erroribus obrutum, atque ab hoc literarum domicilio per orbem terrarum propagauit. Simul matris existimationi nostrae consulemus, effecturi, incorruptam doctrinae integritatem, quae orthodoxia quoque nuncupatur, tam retinendam uniuerse, quam Vitembergae praecipue defendendam.

Quo maiore licentia orthodoxiae nomen cauillari multi solent, eo diligentius illius notio uidetur informanda, ut luculenter, quid sit nobis officii impositum, perspici possit. Nec uero hoc insigni nomine dignam iudicamus almam fidem dominantem, armisque potentum suffultam, quae recte

sentiens ubique iocum non patiatur. Sic enim Dip-
pelius rem pulcherrimam deformat in orcodoxia
orthodoxorum, inconsideratos homines ac ferui-
dos, Lutheri nomen p[re]se ferentes, castigaturus.
Nos quidem non dissimulamus, eo nonnunquam
progreedi impetum disputandi, ut, id quod contro-
uersiae Arianae, Nestorianae, aliaeque probant, alterutra pars sibi recte sentire uideatur, nec tam rationibus persuadeat, quam, ui adhibita, cogat. At hic non, quid fiat per iniuriam, spectamus, sed quid debeat fieri, nisi forte ius naturae gentiumque re-
pudiare uelis, quod eius specie armorum tegitur in-
iustitia. Nec Vitembergae tantos nobis spiritus,
tantamque arrogantiam sumimus, ut, quicquid fu-
erit e Lutheri cathedra pronuntiatum, id solum
purum ueroque conueniens arbitremur. Quamuis enim in hoc suggestum escendamus nunquam, quin ardor Lutheri, quo pro uero ex hoc loco propugnauit, in mentem nobis redeat, nosque ad uestigia sua persequenda incitet, ipse tamen uir summus cathedrali Petri, diuinis oraculis contraria statu-
entem, repudians, suo nos exemplo docuit, plus ueritati, quam loco hominibusque ibi sedentibus, tribuendum. Hi cum possint errare saepius ac decipi, nec raro in grauiissimos errores inciderint, quis auctoritati adhaerescat eorum, ut labi cum il-
lis malit, quam cum sanis sana sentire. Dimissis igitur uanis imaginibus orthodoxiae, expressam eius
for-

formam proprius contueamur. Est illa, si uocem placuerit interpretari, rectus de re quadam sensus, cui *nanodoξia*, seu peruersa repugnat sententia. In religione speciatim tenemus orthodoxiae laudem, ubi de rebus, ad illam pertinentibus, recte iudicamus. Is autem rectum fert iudicium, qui rerum naturam conditionemque probe considerat, eademque cogitationes suas omnes conformat, negligens rationibus peregrinis, in quibus dum plerique morantur, recto deerrantes, in paeceps perueniunt. Quod tanto magis sit in rerum coelestium commentatione, in quibus mens humana tenebris est circunfusa, nec lucem per se ipsa conspicere potest. Quid igitur tutius, quid praestabilius, quam diuinitus editis obtemperare effatis, iisdemque notitiam numinis cultumque omnem metiri. Hanc Deus regulam ipse nobis praescripsit, ad quam dicta factaque dirigamus nostra, nec transuersum unguem ab ea discedamus. Artifex, si suam sibi normam ante oculos proposuit, eademque partes operis omnes, quanta potuit accuratione, elaborauit, recte diligenterque uersatus ab aestimatoribus artis peritis censetur. Consimilem rerum doctor diuinorum laudem reportat, ubi praecipit nihil, nisi quod monumentis, instinctu Dei consignatis, uel claris conceptisque uerbis contineatur, uel iustis inde colligatur ratiocinationibus. Satis autem non est, testimoniorum iactare cumulum, iisque memoriā

riam cum fastidio onerare. Fit enim nonnunquam,
ut, singula ad limam si reuocaris, ne unum qui-
dem, quod probandum fuerat, perficiat. Germa-
na potius est lectio idoneis firmando subsidiis, uo-
ces dictionesque ex usu loquendi, exercitatione
diurna cognito, explicandae, consilioque scri-
bentis, contexto, locorumque similium compara-
tione, interpretatio corroboranda, ac, ne quid
detrimenti religionis capiant fundamenta, prouidendum.
Tum demum pulchre poteris firmiter
que stare, nec modo uerum, e scripto sententiae
testimonii, obtinere, sed frangere etiam aduersa-
riorum quemlibet impetum, alioqui longe auda-
ciorum. Quae diligentia tantas difficultates non
obiicit, quantas multi reformidant, propterea
quod sapientia numinis ac benignitas, quae men-
tem monent, animosque mouent, in tanta collo-
canuit luce, ut nihil supra. Quod si nos rationis co-
natur intercessio retardare, huius arbitrio neque
uincimus, neque iacemus. Namque eius imbecil-
itas in rebus uel naturalibus pernoscendis mode-
stissimum quemque commonefacit, illius uocem
non audiendam, ubi, Deum quid dixisse, dilucide
constat. Quorsum enim nobis accensa lux fuit al-
tior, si lumen naturae radiis nos suis abunde col-
lustrat. Relinquitur, ut de rebus coelestibus ortho-
doxia, prout codex, afflatu diuino scriptus, sug-
gerit, cognoscat unice. Quicquid generatim pro-
posui

posuimus haetenus, imago declarat Lutheri, non
intuenda solum, uerum etiam imitanda. Is cum
primum sapere didicit, non amplius doctorum
coetus prisci praeceptionibus, non sanctionibus
conciliorum, non Pontificio iuri affixus haesit, sed
illud semper in ore animoque habuit, uerbum do-
mini manet in aeternum. Quo in proposito insi-
gni fuit dilectu usus, dimissis locis illis, in quorum
diuina auctoritate haesitabat. Interpretandi uero
sollertia collaudare, superuacaneum duco, tem-
poribus illis admirabilem, quibus tot adminicula,
quot nostra habet aetas, nondum suppeditabant.
Simul Deum potuit testem citare locupletissimum
certissimumque homo religione plenus, posthabi-
tis rationis coloribus, conquieuit. Sic se gerendo,
sinceram nobis doctrinam reddidit, hostesque
omnes forti animo magnoque superauit. Quam
dignitatem amplitudinemque sicut aeternitas in-
tuebitur, sic ab ea discedere, maximae duceretur
merito turpitudini, huic urbi praesertim, in qua
vir summus operis tanti fundamenta iecit

Sed plura persequi hanc in sententiam, institu-
tum, cuius caussa scripsimus; prohibet. Nam HEN-
RICVS GOTTHELF GLASEWALD, LL. AA. M. et
sanctoris alumnus disciplinae, ut Weyrauchiani
beneficii tabulis satisfaciat, oratione solempni diem,
sacris, Lutheri ministerio in pristinum restitutis,
dicatum, nobiscum celebrabit. Dicet ille, sacris
rite

rite procuratis, in auditorio maiore, de ingrato
multorum in Lutheri merita animo. Nos, CIVES,
ingens Dei munus, prout par est, colemus, ac pi-
etate, quam eius magnitudo postulat, perfunge-
mur. Ad quod propositum conficiendum, maio-
rum uirtus nostrorum nos sanctitate sua inuitat,
qui ante saeculum tempus hocce, cum per Saxo-
niā omnem, tum in hac urbe, opere post ho-
minum memoriam insigni praecipue nobilitata,
egerunt festum, Georgii II. Principis Gloriosissi-
mi iussu, non ignari, quid patriae felicitas sanio-
ri Dei cultui debeat. Imitemur exemplum tam
laudabile, ac benignitatem diuinam demississimis
animis ueneremur, uota maxime, religiosissime
concepta, nuncupemus, ut numen hoc decus no-
bis proprium seruet, ut hanc academiam, purio-
ris doctrinae parentem, tot tantisque calamita-
tibus afflictam, recreet, ut posteros etiam inte-
gritate paeceptorum, a maioribus transdito-
rum, perfrui iubeat, quae sola tutam in coelum
uiam monstrat. P. P. VIII. Kal. Nouembr.
CICCCCLXVII

VITE BERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL
ACADEMIAE A TYPIS

Ye 3447

ULB Halle
003 033 120

3




Sb.

V317

03, 2001 Bd.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

23

R E C T O R

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMERVS

PHIL. ET MED. DOCTOR ANAT. ET BOTAN.

PROF. PVBL. ORDINARIUS PHYS. PROVINC.

O F F I C I V M

HENRICI GOTTHELFF GLASEWALD

LL. AA. M. ET SS. LITT. CVLT

O R A T I O N E M

IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

A. R. S. CICICICCLXVII

EX LEGE LIBERALITATIS WEYRAUCHIANAE

IN AVDITORIO MAIORE

H A B E N D I

C I V I B A V S

C O M M E N D A T

